

Sortilegium et diuinatio b cum fonte proximo

Incantatores dicuntur qui artem uerbis peragunt, areoli qui circa aras ydolorum nepharias preces emittunt et funesta sacrificia offerunt.

Auruspices dicuntur horarum inspectores. Dies enim et horas in agendis negociis et operibus custodiunt,

exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura predicunt. Augures sunt qui uolatus auium et uoces intendunt.

Dicitur enim augurium quasi augerium quod aues gerunt.

Phitonisse a Phitonio, id est Apolline, dicte que dicunt se habere spiritum per quem possunt futura predicere.

Genesiani qui

geneses, id est natiuitates, hominum per duodecim signa celi describunt ac per hoc mortes, actus et euentus predicere conantur.

Salitores qui dum eis membrorum quecumque partes offenderint, aliquid inde sibi prosperum siue triste significari presumunt.

Sortilegii uero communi nomine a sorte dicuntur.

Augustinus ibidem (in libro de natura demonum) et ponuntur XXVI. questione III.: Igitur.

Incantatores autem dicti sunt qui artem uerbis peragunt.

Arioli uocati sunt propter quod circa aras ydolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt,

hisque celebritatibus demonum accipiunt responsa.

Aruspices nuncupantur quasi horarum inspectores; dies enim et horas in agendis negociis operibusque custodiunt,

et quid per singula tempora obseruare debeat homo intendunt; hii etiam

exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura predicunt. Augures sunt qui uolatus auium et uoces intendunt,

aliaque signa rerum uel obseruationes inprouisas hominibus occurrentes ferunt. Idem sunt et auspices; nam auspicia sunt, que iter facientes obseruant.

Dicta

sunt autem auspicia, et

auguria quasi auigerum, quod aues gerunt.

Duo sunt autem genera auspiciozum, unum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos scilicet uolatus, ad aures uox auium.

Phithonissae a Phithonio Apolline dictae, quod is auctor fuerit diuinandi. Astrologi dicti sunt eo, quod in astris auguriantur.

Genethliaci

appellati sunt propter nataliciozum considerationes dierum.

Geneses enim hominum per duodecim celi signa describunt,

siderumque cursus nascentium mores, actus, et euentus predicere conantur,

id est quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat uitae qui nascitur interpretantur.

Gratianus, *Decretum*, 2, 26, 3, 1 (*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg ed., col.1024-5).

Salitatores sunt uocati, qui,

dum eis membrorum quecumque

partes salierint, aliquid sibi exinde

prosperum seu triste significari predicunt.

Gratianus, *Decretum*, 2, 26, 3, 1 (*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg ed., col.1025).

[fons nondum inuentus]